Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 737

Quelle:
Copyright:

319. sed in *Cod. folium* 2. a verbis: *veritati diuinarum ſcripturarum* usque ad verba *Sed melius ea nolumus quam uolumus*, excidit. Lectio ceteroquin valde conſpirat.

II. *fol.* 14. p. 2. praemiſſis his e L. II. *Retract.* c. 23. verbis: *Nec diſtuli atque id dei munus et quam magnum. et quanta humilitate cuſtodiendum eſſet. Uno ſicut potui uolumine oſtendi; hic liber ſic incipit; librum de bono coniugali.* ſequitur absque ulla inſcriptione *Liber de Sancta Virginitate*, cujus initium modo audiuimus. Finis eſt: *Hymnum dicite et ſuperexaltate eum in ſecula.* Additur: *Explicit Liber Sancti Auguſtini De Sancta Uirginitate.* Ut in *Cod.* noſtro, ita in *Editis col.* 341. Liber hic praecedentem excipit. Lectio ſincera.

III. *fol.* 43. p. 2. *Item Sancti Auguſtini Incipit Liber ad Julianam De Profeſſione Sanctae Uiduitatis.* Initium epiſtolare: *Auguſtinus epiſcopus ſeruus chriſti ſeruorumque chriſti. Religioſe famule dei iuliane in domino dominorum ſalutem. Ne petitioni tuae. et in chriſto dilectioni* &c. Finis: *Perſeuerans* (perſeveres) *in gratia chriſti amen.* Sequitur praecedentem etiam in *Editis col.* 369. ubi lectio exactior, quam in *Codice.*

IV. *fol.* 62. *Ad Probam.* Ita inſcribitur *Epiſtola*, quae in *Editis* T. II. ponitur CXXX. *col.* 382. et incipit: *Auguſtinus epiſcopus ſeruus chriſti ſeruorumque chriſti religioſę famulae dei probae in domino dominorum ſalutem. Et petiſſe te et promiſiſſe me recolens* &c. Ejus finis: *qui potens eſt facere ſupra quam petimus et intellegimus.* Lectio *Codicis* proba.

V. *fol.* 76. *Incipit Liber de Agone Chriſtiano.* Praeit hunc Librum totus Locus L. II. *Retract.* c. 3. ubi de eo agit Autor. Initium Libri ipſius: *Corona uictoriae non promittitur niſi certantibus. In diuinis autem ſcripturis aſſidue inuenimus.* &c. Finis: *et ſarcina eius leuis. coronam uictoriae mereamur.* Legitur *Opp.* T. VI. *col.* 245. a qua lectione vix abit *Codex.*

VI. *fol.* 94. p. 2. *Incipit ad Aurelium* (Carthag.) *Epiſcopum De Opere Monachorum.* Rurſus hic locus e L. II. *Retract.* c. 21. praemittitur, quo cauſam ſuſcepti laboris *Auguſtinus* exponit. Neque tamen hic neque ſuperius *Libri Retractationum* citantur. Initium Operis: *Juſſioni tuae* (ſancte) *frater aureli tanto deuotius obtemperare me oportuit* &c. Deficit in iis *n.* 24. verbis: *ſed diſtinguens miniſterium ſuum. quia ita inter ſe* &c. Integrum legitur *Opp.* T. VI. *col.* 475. cui probe conſonat *Codex*, ſed mox ſub principium, ubi *Edita* habent: *ad eorum correctionem quid dicendum*, ille offert: *ad eorum correctionem et ad implendum noſtri epiſcopatus officium contra diſſerendum.* Optet Lector.